

DE FINE ANTIQUITATIS IN IURIS PRUDENTIA ROMANA

Iuris periti temporum antiquorum tam multum ad ius Romanorum conformandum contulerunt, ut merito iuris auctores vel iuris confitores appellarentur. Quae nomina subtiliter imposita sunt iuris peritis eius aetatis iuris prudentiae Romanae quae classica vocatur, id est saeculi ultimi rei publicae liberae atque trium paene saeculorum principatus.

Iuris consulti sententias et doctrinas suas ex iis rebus duxerint, quas vitae usus postulavit, necnon progressum rerum oeconomicarum civilium socialiumque imperii Romani semper respexerunt¹. Neque opinionem neque doctrinam ullius philosophiae fovebant, itaque minimae his obstricti erant. Etiam a vocabulis minutissime explicandis vel definiendis abhorrebant.

Qua de causa dici potest eos haud doctrinas a communi vitae usu alienas sed ex singulis institutis iuris mira cum constantia, via ac ratione iuris ordinem communem construendo optime meritos esse. Illis debetur quod, ut eleganter Celsus definit, „ius est ars boni et aequi“².

Sollertia iuris peritorum Romanorum non solum in responsis sed etiam in libris iuris disciplinae atque in arte docendi apparuit. Illi omnibus paene partibus vitae forensis Romanae aderant: magistratu ius dicentes consiliis adiuvabant, alio loco assessorum munere fungebantur, mox tempore principatus, cum in consilio principis de iure civili consulerentur iuris ordini assidue emendando instabant³.

Libri iuris disciplinae aetate quae classica dicitur scripti magno momento erant. Cui rei documento est, quod etiam saeculis inferioribus imperii Romani — statu rerum oeconomicarum civilium socialiumque commutato — monumenta iuris prudentiae magna cum cura, adverbium citanda erant, ut in *Lege citationis* anno 426 a Theodosio Secundo edita scriptum est. Illustres enim iuris periti ut Papinianus, Paulus, Ulpianus,

¹ L. WENGER, *Die Quellen der römischen Rechts*, Wien, 1953. 18. p. et seqq.

² D. I. I. 10. 2.

³ *Proprie de historia iuris*: Emilio ALBERTARIO: „Senza passione e senza fantasia non si fa della storia, e quindi, ne pure della storia giuridica“ (*Studi di Diritto Romano*, III. 1936. praefazione p. IX.).

Influxus humanismi ad ius Romanum: P. CSILLAC, *De iure humanitateque Latinis*, Bucurestis, 1970. *Acta Conventus Omnium Gentium Latinis Litteris Linguaeque Fovendis*. 81. P. et. seqq.

Modestinus et Gaius — argumentorum momenta ad controversias diiudicandas praebebant. Itaque non est mirum pristinos iuris peritos in Digestis Iustiniani honore maximo ornatos esse⁴.

Quoniam imperium Romanum universam terram Mari Medio adiacentem — quae oecumene dici solet — complectebatur ius Romanum omnibus huius imperii regionibus et in oriente et in occidente sitis vigorem atque vim continuam usque ad tempora Iustiniani habebat⁵.

Imperio igitur anno 395 in duas partes diviso quoque superstes erat, atque eodem ipso iure Romano etiam regnum Ostrogothicum Theodorici ad imperium Romanum pertinere existimabatur⁶.

Antiquitatem Iustinianus imprimis eam aetatem iuris Romani significavit, quam nunc classicam vocare solemus. Ius antiquum, vel ius vetus eiusdem aetatis ius intellegebatur. Praecepta autem ad ius pertinentia, quae aetate dominatus ab imperatoribus data erant, a Iustiniano ius novum appellabantur, quamquam in fontibus iuris prudentiae ipsum hoc vocabulum raro inveniri potest. Monumenta iuris aetate quae postclassica dicitur atque saeculo Iustiniani scripta nomine veterum iuris consultorum utebantur, cum iuris peritos aetatis classicae dictae significare volebant, sive rei publicae liberae, seu principum temporibus hi vixerunt⁷.

Opera ex aetate Diocletiani usque ad tempus Iustiniani singulis normis colligendis et codificandis navata in historia iuris prudentiae Romanae iam finem antiquitatis indicat. Sed iuris disciplina ne tunc quidem magni pretii atque momenti esse desiit⁸, Eo enim tempore apud Romanos in iuris ordine res eius generis adolevisse constat, quarum semina iam aetate iuris Romani priore sparsa essent velut ratio ac via contorta officiorum et administrationum nihil admodum novi in se continebat, quippe cuius prima indicia iam tempore Augusti apparuissent. Diocletianus et Constantinus iter coeptum pergebant, quia institutis exoletis sed nondum sublatis rei publicae veteris liberari voluerunt.

Quae cum ita essent, res eo adducta est, ut potestate normarum iuris conscribendarum sola officia palatina fluerentur. Iuris periti

⁴ D. 1. 1., G. 1. 17.

⁵ *De periodis generatim*: R. v. MAYR, *Römische Rechtsgeschichte*, 1912—1913) im Sammlung Goeschen, nos 577/8, 645/8, 647) Leipzig. I. 1, 15. pp.; K. HEUSSI, *Altertum, Mittelalter und Neuzeit in der Kirchengeschichte. Ein Beitrag zum Problem der historischen Periodisierung*, 1921. 39. p.: „Die Perioden sind nicht φύσει sondern θέσει . . . sie somit subjektiv, relativ, nicht absolut“; R. TROELTSCH, *Der Historismus und seine Probleme. Ges. Schr. III.* (1922) 700. pp.; GELZER, *Historische Zeitschrift*, CXXXV. (1927). 173.; P. De FRANCISCI, *Storia del Diritto Romano*. Milano. I. (2nd ed. 1939) 31.; ad haec et ad seqq. cf.: F. SCHULZ, *History of Roman Legal Science*, Oxford. 1953 (2 nd ed.); G. MARTON, *A római magánjog elemenek tankönyve, Instituciok*. Budapest, 1960. (3. ed.) 9.; E. PÓLAY, *Differenzierung der Gesellschaftsnormen im antiken Rom*. Budapest. 1964. 133, 134. pp.

⁶ R. BROSZ — E. PÓLAY, *Római jog*. Budapest. 1974. 85. p.

⁷ PÓLAY, op. cit. 36, 167, 261. pp.

⁸ L. v. RANKE, *Über die Epochen der neuen Gesch.* 1888. 5. p.

autem magno ingenio praediti operam suam aut ecclesiae Christianae, aut imperatoriae aulae obtulerunt⁹. Temporibus Severorum iuris consulti tantae laudis ut Papinianus, Paulus et Ulpianus iam officia palatina receperunt. Sed hos viros excellentes aetatis Severorum nominatim novimus a tempore autem Diocletiani iam multi nomine ignoti officii palatinis fungebantur¹⁰.

Cultu atque humanitate antiquitatis labente iam non sectatores scholarum iuris disciplinae Romanae, sed iuris periti nomine ignoti officium palatinum quoddam administrantes magna opera iuris prudentiae scripserunt. Imminuta est etiam auctoritas praeceptorum iuris disciplinae qui aetate classica dicta multum gratia valuerant. Iuris prudentia igitur Romanorum non omnino deleta est, solum tempori cessit: quae ipsa facultas se accommodandi vim, vitalem eius demonstrat. Nostra quidem sententia hodie etiam aetatem Iustiniani antiquam dicere possumus¹¹. Nam aetate illa exeunte ordo rerum omnium earum quae iam a saeculo secundo initium ducentes observari poterant, finem cepit¹². Venit tempus, cum iuris consulti neque voluntatem neque ingenium iuris ordinem magnopere novandi haberent¹³.

Mox etiam tempus labentis antiquitatis transactum est et quidem anno 534 Codice Iustiniano repetitae praelectionis edito.

Finita antiquitate ius Romanum rigescere coeperat ac iuris prudentia iam solum id agebat, ut Corpus Iustinianum conspicuae magnitudinis scholastico modo explicaret; quae res ceterum indicat ius codificatum magni momenti fuisse¹⁴. Hoc autem iam initium medii aevi¹⁵ est, eo hoc tempore omnis propria et singularis natura iuris prudentiae sublata est, quoniam materia iuris Iustiniani fons publicae auctoritatis exstitit atque sic Bononiae aliquot saeculis peractis renata est. Opera iuris prudentiae saeculi quarti quintique a consuetudine sermonis Latini saepe abhorrentia nec aliis quibusdam vitiis libera iam senescentis aetatis antiquae sunt¹⁶.

⁹ P. CSILLAG., op. cit. 85, 86. pp.

¹⁰ MITTEIS, Vortrage Antike Rechtsgeschichte und romanistisches Rechtsstudium. 18. Hefte d. Mitteilungen d. Wiener Freunde d. humanist. Gymnasiums. Wien, 1917. 17. p. Hoc loco Mitteis postulat: „eine Analyse der Denkvorgänge anerkannter juristischer Denker“. P. CSILLAG. I giuristi di origine Africana nell'impero Romano, Székesfehérvár. 1969. Annales Musei Stephani Regis ALBA REGIA X. 184. p. et seqq.:

¹¹ E. PÓLAY, op. cit. 358.

¹² F. SCHULZ, op. cit. 129. p.

¹³ MOMMSEN, Gesammelte Schriften (8 vols. 1905—1913) IV. 469.

¹⁴ SCHULZ, op. cit. 330. p. 3. n.

¹⁵ A. BERGER, Annuaire de l'Institut de Philologie et d'Historie Orientales et Slaves de l'Université Libre de Bruxelles (AIPhO) VII. (1939—44) 357.; H. ZILLIACUS, Zum Kampf der Welt Sprachen im oströmischen Reich, Helsingfors. 1935; F. PATETTA, Per la storia del diritto romano nel Medio Evo. Rivista Italiana per le Scienze Giuridiche. 1891. 12; — Contributi alla storia del diritto romano nel Medio Evo. Bolletino dell' Istituto di Diritto Romano. 1891—1892. 3:4.

¹⁶ KANTOROWICZ, Zeitschr. der Savigny Stiftung f. Rechtsg. Roman. Abt. XXXIII, 1912, 465; SCHULZ, op. cit. 265 p. 1—3. nn.

Iuris disciplina Romana deinde in oriente proprietatibus Byzantiis induta est, sed satis magno fastigio manebat, immo etiam quinto sextoque saeculo aliquantum aucta esse videtur¹⁷. In occidente autem imperii — temporibus turbulentis — iam a quinto saeculo cadere usque continuabat¹⁸.

Codex Digestaque Iustiniani genus atque rationem iuris prudentiae per complura saecula determinaverunt. Sed hodie quoque sentiri potest in hac iuris materia partes antiquitus traditas et partes aetate Iustiniani ortas inter se discrepare. Cuius aetatis erat perseverare obstinatio animo in praeceptis codificatis adeo, ut materiam iuris in his omissam negligaret, velut si illa non existeret¹⁹.

Ex iuris praeceptis codificatis et commoda et incommoda ad iuris disciplinam venerunt. Laudem enim hoc opus meruit posteritati magnam partem materiae iuris ante tempora Iustiniani scriptae conservando, itaque fontes iuris aetatis classicae dictae ab interitu vindicando.

Sed horum fragmenta in Codice Iustiniano ascripta valde inter se pugnant. Compilatores enim vitia textus nimium quaesito modo emendaverunt²⁰. Quam ob rem horum textuum vera conceptio visque historiae obscurata atque corrupta est, in oblivionem adducta conditione in qua illi nati sunt. Ratio et disciplina textum edendi non est satis digna fide, quia non in quaestionibus iuris solvendis, sed in philologia imitata inanique ratiocinatione posita est²¹. Methodus huius generis omnino aliena erat a iuris prudentia ante tempus Iustiniani et imprimis aetate classica dicta. Opus igitur ius codificandi tempore Iustiniani factum minoris aestimandum videtur, quam eadem opera saeculorum priorum²².

Budapest.

P. Csillág.

¹⁷ L. SICILIANO—VILLANUEVA. Diritto Bizantino. Enciclopedia giuridica Italiana, 1912. 4 (5): 36—95.; A. ALBERTONI, 1927. Per un'esposizione del diritto bizantino con riguardo all'Italia. Imola. Cooperativa Tipografica. P. VINOGRADOFF, 1929. Roman Law in medieval Europe. 2 nd. ed. by F. De ZULUETA. (Italian transl. by S. Riccobono, 1950. Milano); E. H. FRESHFIELD Roman Law in the later Roman Empire, 1932. Cambridge. A. BERGER, Pourquoi ius Graeco-Romanum? Autor d'une terminologie, AIPhO VII. 357—367. New York (BIDR 55—56, Post-Bellum 1951: 290—301); A. D'EMILIA, 1945.1947. Appunti di diritto bizantino. 1. Le fonti Roma Tuminelli (Libreria dell'Università) — Lezioni di diritto Bizantino. Parte speciale. 1. Le Successioni. 2. 11. possesso. Roma.

¹⁸ H. F. YNTEMA, 1949. Roman law and its influence on Western civilization Cornell Law Quart. 35; 77.

¹⁹ Const. *Tanta*. s. 19.; POLAY, op. cit. 357.

²⁰ E. GRUPPE, Zur Diagnostik der Interpolationen in den Digesten und in Codex. Sav. Zeitschr. R., Abt. 7(1886)15—31; H. KRÜGER, A Lat. Lexikogr. 10. 147. pp.

²¹ WENGER, op. cit. 41, 576. pp.

²² BROSZ—PÓLAY, op. cit. 86. p. et seqq.